

Petrus de Vinea

*Ep. IV 11 (Nobili mulieri dominae
P., Petrus de Vineis salutem...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 11 (Nobili mulieri dominae
P., Petrus de Vineis salutem...)*

ante 1249?

Responsiva ad precedentem, consolando eam.

Nobili mulieri dominae P., Petrus de Vineis salutem et consolationem, quam potest et debet. 1. In prematuro filii tui casu, quo percussa doles et sauciata tristaris, impleas naturae debitum, sed diuinae correctionis imperium non contempnas. Nec tamen usque adeo, licet intus efferueas, exaggeratus sit dolor, ut, contra Deum prouocata, quodammodo uidearis te uindicare uelle cum lacrimis, et irata cum iudice potius quam correpta credaris, presertim cum habeat Dominus, quid clamanti respondeat, et habeat consolator, quid offerat lacrimanti. 2. Nam Ille quod suum communi ratione repetiit; iste dilectionis maternas consolationes superstitum scilicet concessit sufficientium numerum filiorum. 3. Ad quorum omnium bonum me libenter et hilariter offero, et affectione paterna sollicitum, et amica prouisione fidelem in posterum preseruabo, quorum unum – si concesserit Dominus – natura futurum michi promisit filium et agnatio reliquos filialis affines.